

Perillustri d:o
Arckenholtzio aulæ
consiliario s. p. d.
Samuel Älf. Profess...

Älf, Samuel,

*1700-1829 81 Cbza 1770 Arckenholtz,
Johan*



National Library
of Sweden

PERILLUSTRI
D:O ARCKENHOLTZIO

AULÆ CONSILIARIO

S. P. D.

SAMUEL ÆLF.
PROFESSOR.

Magne Senex, Musis decus immortale Boréis,
Qui superas meritis carmina, mente chelyn:
Patria cui debet generoso pectore Civem,
Artificique simul condita gesta manu:
Parce, quod a minimo tangatur gloria vate,
Quam canit Aonii docta caterva chori.
Sæpe Tuas vidi miratus vertice lauros,
Auribus allapsa est famaue clara meis:
Sæpe Tuam sacro veneratus *Pallada* plausu,
Eximiae testem dexteritatis, eram.
Creverat omnigenas hinc cura requirere chartas,
Te Duce; nec patrium dissimulare decus.

) (Tem-

Tempora CHRISTINÆ circum subit aurea mentem
Tollere, Pierias & legere inde rosas;
Perque adeo Pindum, multoque virentia Phœbo
Arva, diu tenuit me violentus Amor.
Hic licet infelix gustu præsentis & ævi,
Delicias odio nescit habere suas.
Ferre superba hominum fastidia cogimur omnes:
Perpetuas rerum convenit esse vices.
Romane in Roma, nec in Hellade cernitur Hellas;
Perdidit ac veneres utraque pæne suas.
Svada jacet, Scholicis damnataque pallet in umbris,
Pristina, nunc orbi barbara facta novo.
Moribus his Sæcli sic nostros fallimus annos,
Et prope jam spernit nomina prisca puer.
Torrentem hunc contra quis temporis obvia jactet
Brachia? conatu luditur ille suo.
Ut tamen officio studium junxisse viderer,
Atque aliqua veteres parte morarer avos,
Ausus eram stolidus medium me inferre per agmen,
Virtutisque suæ non tacuisse dies.
Ante oculos fuerant cultæ monumenta Minervæ,
Sparfaque sic placuit congerere illa mihi.
Obruta pulvere quoties caligine vidi!
Quàm lacera & multis spreta subinde locis!
Semper ego meritos spondebam lucis honores;
Incidit inque meas plurima turba manus. (*)
Nescio, qua fati sed adhuc oppressa tenetur
Turbine, nec vinclis libera facta suis.

Dum

(*) Cfr. Dissert. binæ de Poëtis in Sviog. Latinis,
Ups. 1739 & 1740.

Dum jactant aliæ mellitas ordine gentes
Delicias, nostris gloria restat agris.
 In tenui tantum Promulside novit eandem
 Orbis, sint quamquam fercula plura gulæ;
 Impedütque alios, Svecani lumina Pindi, (*)
 Cum mora, præcipitem me irritus ardor agit.
 Nec pretium lector statuit, nec bibliopola;
 Sed volupe est aliis perdere verba modis.
 Scandit Apollineos vernacula Musa curules,
 Gentibus & nullis cedere jure volet.
 Sæpe tamen subeunt miseris sudantia curis
 Præla, nec in patriæ forsitan apta decus;
 Et toties vellem, civilibus ut procul armis,
 Nostra forent aliquid munera, pacis opus.
 Interea, dum forte vetor servire, laborem
 Otia consuetum nostra hilarare solent;
 Quærimus & lectis auctaria quæque papyris
 Digna, quibus possit postera turba frui:
 Sique licet, Vatum prodibit & unus & alter
 In lucem: felix spes manet illa mihi.
 Addat ut inventis complura & quisque Patronus,
 Rite precor, toto & pectore gratus ero.
 Nec de me dubites, Mens, O! Generosa: favorem
 Quem mihi præstiteras nuper, honore colo.
 Parte sui servata fuit qua Musa celebris
Rénnowii, mecum plaudit amica Tibi;
 Membraque si poterunt forsan disjecta redire
 Amplius, hoc fortis munere læta canet.

) (2

Sic

(*) Celeberr. P. LAGERLÖFVIUM & Illustr. O. HER-
 MELINUM. Cfr. Normanni Orat. Paneg. p. 168 &
 Holm. Litt. P. 1. p. 15.

Sic etiam Aoniæ plures in vallibus umbræ
Elysiis, si quis sensus, ovare volent.
Non erit ac patriis ingloria cura Camenis
Cernere, queis lauros promeruere, Duces.
Visa mihi hæc pietas saltem: Tu parce moranti
Nunc Tua litterulis lumina fessa suis.
Quo magis arrident priscae Tibi sacra Minervæ,
Blanditur studiis mollior aura meis.
Perge favere mihi, Fratremque ut amore *Lidenum*
Dignaris, pigeat ne meminisse mei.
Corde salutatum Te percupit ille fidei,
Certat & in studiis mens Tibi nostra suis.
Optamus, placidæ sint otia longa Senectæ;
Ut patrios inter Tu decus Ipse Senes.
Donec erit CHRISTINA, comes Tibi certa manebit
Gloria, & hanc orbi fama loquetur anus.

Lincopiæ, Pridie Non. Novembr. MDCCCLXX.

HOLMÆ,
Typis Direct. LAURENTII SALVII, 1771.